



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De conuersione Gosuuni sacerdotis, qui de probatione cum furio fugit,
cap. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*Solo in-
sanctu
demonis
conuersi.
Vita S.
Bernardi
l. 1. c. 13.*

LEGITVR in vita iam dicti patris, tempore quodam venisse ad Claraualem magistrum Stephanum de vitreio, virum magnæ scientiæ, vt putabatur, gratia conuersionis, de cuius aduentu cum tota vallis exultaret, personam tanti viri considerans, beatus Bernardus in hæc verba prorupit: Diabolus eum adduxit; solus venit, solus reuertetur. Ad hoc enim venerat, vt quosdam nouitios, quos in literatura ipse informauerat, ad sæculum reduceret. Ne sanctus pater scandalizaret pusillanimes, hominem recepit, quem non perseueraturum sciebat, vt nouitius fieret confensit. At spiritus malignus, cum toto illo anno per os sui mancipij in aure nouitiorum sibilaret, nec proficeret, quem ad illorum ruinam adduxerat, solum, secundum prophetiam viri Dei, cum multa confusione reduxit. Audi & aliud exemplum de vicino.

CAPVT X.

VENERVNT ad nos duo sacerdotes girouagi, ingressum petentes, de quorum perseuerantia cum penè nulla esset nobis spes, negatum est eis quod postulabant. Vno discedente, alter, cui nomen erat Gosuinus, importunitate sua vt recipere- tur obtinuit, qui vix per sex hebdomadas in probatione stetit. Et nocte quadam infra matutinas, mandatis eius qui eum adduxerat obediens, cum furto recessit. APOLLONIVS: Fortè simplici intentione venit. CÆSARIVS: Nequaquam: cum adhuc cum socio suo esset in hospicio, & paterentur difficultatem in recipiendo, dicebat alter ad alterum; Sine, licet modò nobis sint graues, tamen eos decipiemus. Hoc quidam Conuersionum nostrorum illis ignorantibus audiuit. Nonnullos conuerti ex quadam leuitate animi, sæpius expertus sum.

CAPVT XI.

*Leuita-
tes animi
conuersi.*

VENIT ad nos adolescens quidam canonicus in Colonia, magis, vt postea rei exitus probauit, ex quadam leuitate mentis, quam deuotione conuersionis, qui suum nobis aperiens propositum,